XI Hinc igitur domum reversus varia examinatione [perpendit] an in his proportionibus ratio simphoniarum tota consisteret. Hunc quidem aequa pondera nervis aptans eorumque consonantias aure diiudicans. Nunc vero in longitudine calamorum duplicitate medietatemque restituens ceterasque proportiones aptans integerrimam fidem diversa experientia capiebat. Sepe etiam pro mensurarum modo ciathos aequorum ponderum acetabulis inmittens sepe ipsa quoque acetabula diversis formata ponderibus virga vel aerea ferreave percutiens nihil sese diversum invenisse laetatus est. Hinc etiam ductus longitudine crassitudinemque cordarum ut examinaret aggressus est. Itaque invenit regulam de qua posterius loquemur quae ex re vocabulum sumpsit. Non quod regula sit lignea per quam magnitudines cordarum sonumque metimur sed quod regula quaedam sit huiusmodi inspectio [consideratio] fixa firmaque ut nullum inquirentem dubio fallat indicio.

DE DIVISIONE VOCUM EARUMQUE EXPLANATIONE

XII Sed de his hactenus. Nunc vocum differentias colligamus. Omnis vox aut CΥΝΕΧΕC est que continua aut ΔΙΑCΤΗΜΑΤΙΚΕ que dicitur cum intervallo suspensa. Et continua quidem est qua loquentes vel prosam orationem legentes verba percurrimus. Festinat enim tunc vox non herere in acutis et gravibus sonis sed quam velocissime verba percurrere expediendisque sensibus exprimendisque sermonibus continuae vocis impetus operatur. ΔΙΑCΤΙΜΑΤΙΚΕ autem est ea quam canendo suspendimus et ideo non sunt ibi accentus observandi in qua non potius sermonibus sed modulis inservimus. Estque vox ipsa tardior et per modulandas varietates quoddam faciens non intervallum non taciturnitatis sed suspense ac tarde potius cantilene. His ut Albinus autumat additur tertia differentia quae medias voces possit includere cum scilicet heroum poemata legimus neque continuo cursu ut prosam neque suspenso segniorique modo vocis ut canticum. QUOD INFINITATEM VOCUM HUMANA NATURA FINIVERIT.

XIII Sed quae continua vox est et ea rursus qua decurrimus cantilenam naturaliter quidem infinite sunt. Consideratione enim acceptae nullus modus vel evolvendis sermonibus fit vel acuminibus attollendis gravitatibusque laxandis. Sed utrisque natura humana fecit proprium finem. Continuae enim voci terminum humanus spiritus fecit ultra quem nulla ratione valet excedere. Tantum enim unusquisque loquitur continue quantum naturalis spiritus sinat. Rursus ΔΙΑCΤΗΜΑΤΙΚΕ voci natura hominum terminum facit [natura] quae acutam eorum vocem gravemque determinat. Tantum enim unusquisque vel acumen valet [id est extendere] extollere vel deprimere gravitatem quantum vocis ei naturaliter patitur modus. QUIS MODUS SIT AUDIENDI.